



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opvscvla Spiritvalia - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae
Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De
Sacrificio Missae. VI. De Discretionem Spirituum ... Operum Eminentiss.
Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

§. 2. De his qui offerunt hoc sacrificium

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969

in cruce satisfecit. Easdem pœnas remittit defunctis existentibus in Purgatorio, quia ad eum quoque finem à Christo institutum est; ut constat ex potestate, quæ confertur Sacerdotibus in ordinatione, offerendi pro vivis & defunctis: nec potest hoc effectu carere, quia ex parte ipsorum nullus obex esse potest. Porro in illis, pro quibus tantum offertur, sive vivis, sive defunctis, tanta erit pœnæ remissio, quantam Christus ex sua misericordia taxavit. Licet enim res, quæ offertur sit infiniti valoris, nostra tamen oblatio non nisi finitum habet effectum, ut communiter docent Theologi. In iis verò qui simul etiam offerunt, augetur pro cuiusque affectu & devotione. Denique quia Christus non solum nobis remissionem peccatorum, sed alia quæcunque beneficia promeruit, idcirco hoc sacrificium est etiam omnium bonorum impetratorium, spiritualium quidem primò & per se, temporalium verò secundariò, & quatenus ad spiritualia conducunt. Sed quia ex se vim habet dumtaxat impetrandi in genere, ut aliquid determinatum impetretur, debet ad illud offerentis intentio specialiter applicari. Ad impetrandum autem pro Ecclesia, semper intervenit ejusdem Ecclesiæ intentio, præsertim quoad ea quæ in orationibus Missæ à Deo petuntur: nam ipsa quoque Ecclesia est offerens in persona sui Ministri.

§. II. *De his qui offerunt hoc Sacrificium.*

Primum & præcipuum inter offerentes locum obtinet Christus, qui solus potuit acceptabile sacrificium offerre Patri, quod quia quotidie offert per Sacerdotes ministros suos, idè dicitur sacerdotium habere sempiternum, sicut scriptum est; *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. Non solum autem ex eo est offerens quod illud instituerit, quodque ei vim totam ex meritis suis contulerit; sed ex eo præcipue quod sacerdos in persona ejus, & tanquam Minister ac legatus ipsum repræsentans sacrificat, ut constat ex verbis

consecrationis, non enim dicit, Hoc est corpus, vel Hic est sanguis Christi; sed, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus. Christus igitur, simul cum sacerdote idem sacrificium Deo Patri pro hominibus offert: & ex ejus persona, cujus purissima sanctitas & dignitas infinita est, semper hoc sacrificium mundum est & gratum Deo, quamvis à Ministro peccatore offeratur.

Alter offerens est ipsa Catholica Ecclesia, cujus sacerdos Minister est, & in ea omnes fideles non excommunicati, qui etiam aliqua ratione sunt offerentes per sacerdotem non tanquam per Ministrum, sed tanquam per Legatum seu mediatorem. Nam sicut tota Respublica dicitur agere quicquid ejus nomine Legatus suus agit: sic omnes Catholici dicuntur sacrificare, quia ipsorum nomine in persona totius Ecclesiæ sacerdos sacrificat. Non tamen omnes eodem modo: sed quidam habitualiter tantum, illi nimirum qui nec adsunt sacrificio, nec cogitant de illo; quia tamen uniti sunt toti Ecclesiæ per charitatem, censentur habitualiter idem facere quod illa facit. Alii causaliter, jubendo & curando ut quis sacrificet, quod maximè contingit in dantibus ad hoc eleemosinam. Alii demum actualiter, qui sacrificio actu intersunt.

Tertius offerens & proprius minister hujus sacrificii est sacerdos legitimè ordinatus, cujus tam firma & immobilis potestas est, ut etiam in hæresim lapsus, suspensus, depositus, degradatus, sive excommunicatus, validè hoc sacramentum conficiat & offerat, licet illicitè, dummodò legitimam materiam & formam adhibeat. Nec valor sacrificii minuitur, etsi sacerdos pessimus, aut ab Ecclesia præcisus sit: non enim fructus ex qualitate Ministri, sed ex Christi institutione dependet.

§. III. *De vi effectiva hujus Sacrificii.*

DUplex spectari potest in hoc sacrificio vis effectiva. Una quam dicunt Theologi ex opere operato, independentè à merito & dignitate Ministri: altera quam